

NUMMUS VOTIVUS
EIDEM HENRICO II. GALLIA-
rum Regi, de rebus prosperè in bello gestis, con-
gratulans: Anno Christi 1552.



Jusdem, cum superioribus, argumenti atque tenorishic Nummus est: ut qui ob virtutē fortunamque militarem Henrico Laurum deberi eorum uni orbis consensu attestetur. Temporis non nihil ordo in ejus inscriptione turbatur, quem sic ponimus.

I. Octavium Farnesium, ne Gonzaga præfectus Mediolanensis Parmam sibi eriperet, metuentem, in suum recipit patrocinium: & Parmæ Gallicum militem imponit præsidio. Pontifex Julius factum Octavij fert indignè, eumque Romam citat: rogatus à Cæsare ad ferendas suppetias Mirandulam obsidet: hujus, ut & Parmæ capiendæ spe cum frustraretur, certis conditionibus cum Gallo transigit, deserto socio Cæsare. *Sleidanus.*

II. Potinus dux belli Gallicus naves aliquot Belgicas, pretiosis mercibus onustas, in Oceano mari capit: Brissaccus in Pedemontio & Taurinis oppida multa, inprimisque Choerium & Sandamianum. *Idem.*

III. Senenses a Mendoza Præfecto Cæsariano durius habiti, ad Gallos deficiunt: Præfecto & Hispanis urbe ejectis. Cum enim prius è Cæsarianis Montacutus cum octingentis peditibus Senam fuisset ingressus, id adeò indignum Senensibus visum fuit, ut summum studium in colligendis copijs posuerint: ac paucis inde diebus Nicolaum Petilianum Comitum cum 4000 peditum ex composito clam in urbem intromiserint, Senensibus cunctis pro patria libertate arma capeffentibus: his ingressis, Cæsariana præsidia, non sine magna utrinque clade, sunt ejecta. Superstites Hispani partim sese in oppidulum partim ad Cœnobiū Divi Dominici, quod munierant, receperunt. Postridiè Comes Sancti Florius cum duobus milibus recentium peditum ingressus cœnobiū & oppidulum multis Hispanistrucidatis expugnavit. *Com. Natalis.*

IV. Metim Mediomatricum urbem non ob præsidarios modo